HIERONYMUS

Klosterneuburg, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 58v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sertit fornicantem et de salute illius desperarit. Sin uero heretici qui uetus non recipiunt instrumentum iuxta lxx. editionem in hoc loco reprehenderunt. illud quod dictum est et contristabis me in omnibus istis. eo quod deus non solum iram recipiat. sed et merori subiaceat atque tristicie. introgemus eos. quomodo illud suscipiant. quod certe boni dei mandatum est. Nolite contristare spiritum sanctum dei in quo signati estis in die redemptionis. Quodcumque enim dixerint in defensionem illius testimonii. hoc nos in satisfactionem presentis sermonis aptabimus.

Ecce omnis qui dicit uulgo prouerbium. in te assumet illud dicens. Sicut mater. ita et filia eius. Filia matris tue es. que proiecit uirum suum et filios suos. et soror sororum tuarum. que proiecerunt uiros suos et filios suos. LXX. Hec sunt omnia que dixerunt contra te in parabolam dicentes. Sicut mater et filia. Filia matris tue tu es. que reliquit uirum suum et filios suos. et soror es sororum tuarum que reliquerunt uiros suos et filios suos. Post catalogum uitiorum et correptionis ierusalem per quam retrahitur ad salutem aptatur ei ex tritum uulgi sermone prouerbium. siue ut lxx. transtulere parabola qualis mater. talis et filia. Mater autem ierusalem sicut et supra. et in consequentibus scriptum est cethea appellatur. interpretaturque insaniens. siue in amentiam uertens quod scilicet huius incentiua monstrantur que captiuam animam ducunt ad interitum. et a uiro suo separant. haud dubium. quin uerbum dei doctrinaque dicatur. Et soror sororum suarum. ut post paululum lecturi sumus sodoma uocatur. et samaria. quarum altera gentilem uitam. luxuriosamque significat. altera hereticorum decipulas. Porro quod in lxx. legitur. soror es sororum tuarum que repulerunt uiros suos. et filios suos. sensum non habet. Quas enim alias sorores habebant sodoma et samaria que sorores sunt ierusalem. Et hoc querendum quos uiros sodoma samariaque dimiserint. et quos proiecerint filios. nisi si forte possumus hoc dicere quod semper errantium fluctuent pedes nec sint solida uestigia. que proprie ueritatis sunt. sed huc illucque discurrant et circumferantur omni uento doctrine duce falsitate transeunt ad aliam falsitatem. et cum in primis frustra se sudasse cognouerint ad secunda tertiaque transcendunt.

Mater uestra cethea. et pater uester amorreus. et soror tua maior samaria. ipsa et filie eius que habitant ad sinistram tuam. soror autem tua minor te. que habitat a dextris tuis. sodoma et filie eius. Sed nec in uiis earum ambulasti. neque secundum scelera earum fecisti. paulominus pene sceleratiora fecisti illis in omnibus uiis tuis. LXX. Mater uestra cethea et pater uester amorreus. soror uestra senior samaria hec et filie eius que habitant a sinistris tuis. et soror tua iunior te. que habitat a dextris tuis sodoma et filie eius. Et nec sic quidem in uiis earum ambulasti. neque secundum iniquitates illius egisti paulominus. et transgressa es eas in omnibus uiis tuis. Super dixerat pater tuus